

ANTIQUISSIMORUM IURIS CIVILIS FONTIUM  
SIVE LEGUM DUODECIM TABULARUM  
HISTORIAM

1978

L

1622  
(43)

ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO  
EXIMIAEQUE SPEI VIRO IUVENI  
**FRIDERICO CHRISTIANO**  
**ALEXANDRO DE SEEBACH**

LITERARUM ALTIORUM STUDIA  
IN CELEBERRIMA, QUAE IENAE FLORET, ACADEMIA

EXEUNTE MENSE OCTOBRI ANNO CIOGDCCCLXXXVI

FELICITER AUSPICANTI

GRATULATUS ENARRAVIT

IOANNES PAULLUS CHRISTIANUS PHILIPP.

---

NUMBURGI, EX OFFICINA UHLIGIANA,

L 199,

G. D. Gölz.





Kapsel 78 L 1622 [43]

AK

Vir Illustris  
Generosissime ac Doctissime  
Iuvenis!

**S**tudiorum TVORVM, generosissime Iuvenis, domestico mihi ac lactabundo teſti inter omnes vitae meae dies nullus umquam splendidior, laetior nullus adſulgere potest, quam ille ipſe dies, quo TV, certissima Patriae et Parentum generosorum ſpes, egregio literarum adparatu instructus, moribus illibatis exornatus, Parentumque et TVORVM omnium, nec non amicorum ardentissimis votis et fauſtis adclamationsibus cumulatus, Zenensem Academiam, cui Deus porro propter insignia in bonas literas cuiusvis generis merita faveat, eo conſilio petiurus ei, ut iis literis, quas ibi incluta Facultas, quae iuridica vocatur, ſuis largitur auditoribus, ancis, idem, qui adhuc fuisti, summi Numinis cultor, firmiffimum Pa-

eriae column, perfectissimus lusitiae minister, **TORVM** omnium laetitia, et cuiusvis probi refugium et portus aliquando redcas. Animi et  
 ocularum caccitate sane laborarem, nisi mature illud egregium vere generos*is*  
**TVI** animi consilium a me detectum esset, aut, si causam ignorarem, cur  
 tot nostrae civitatis et aliarum regionum, quotquot in **TVI** notitiam  
 venerunt, homines TE ament, diligant, venerentur. Sed vereor, ne  
 suspicionem adulatoris, quem vehementer odisti, apud TE incurram. aut  
 prorsus me favore **TOV** privem, si, quamquam vera dicenda sint, plura  
 ramen **TVA** laudi addere vellem. Patiare igitur, **GENEROFISSIME**  
**IUVENIS**, ut pectoris mei laetitia amorisque mei erga TE vehementia  
 piis votis **TIBI** cernendam se exhibeat. Deus, qui adhuc mirifice TE  
 observavit, qui multorum precibus id dedit, ut TE, corpore olim infirme  
 ab incunabulis praeditum, et varia cum valetudine deinde confistantem,  
 nobis conseruaret et corroboraret, qui porro generosa sensa pectori **TOV**  
 indidit, et in ipsa generosissima **TVA** gente, quae insigniter hodie floret,  
 et in antiquo stemmate, quod **SEEBA**CHIORVM nomen  
 dudum perillustre reddidit, permulta **TIBI** virtutis et integritatis exempla  
 ad **TVA** felicitatem imitanda proposuit, qui denique, paucis ut omnia  
 complectar, saepissime ac multis modis se Deum erga TE benignum et vitas  
 tutorem ita praestitit, ut cognitu difficile haud sit, quanto in TE feratur  
 amore; is TE, quidquid est periculi, longe a TE propulsaturus omnemque  
 studiorum **TORVM** cursum egregie secundaturus comitetur, efficiatque  
 tandem, ut post vitae dies, quos longissimos ac faustissimos **TIBI** exopto,  
 nostrum utrumque sedes illae excipiant, ubi piis est summa beatitudine  
 fruendum. O me felicissimum! iam totius caeli bona sentire mibi videor,  
 o me felicissimum, cum votum hoc, quod praecepitum de TE in pectore

m89

V

meo moratur, expletum video. Tunc enim ante summi nostri Domini  
folium planius demonstrabo, me maximam salutis meae partem non nisi in  
TVA salute potuisse invenire.

Iam vero noli mirari, me extra campum, in quo mihi proprie-  
tate decurrentum, hodie expatriari, meque materiam scribendam sumere,  
quae a Theologia tantum disset, quantum a terra caelum. Sed cum fero  
semper humaniores, quas vocant, literae animum meum mulcent, atque  
ego publicum meae erga TE TVOSque reverentiae extare vellem documentum,  
rem nimirum aliquam, quae ad illas literas posset referri, scriben-  
dam mihi proposui, et, cum TV ad Themidos sacra accederes, illae  
Leges XII Tabularum mibi succurrere, quas primum quidem, cum fons  
sint iuris civilis, latinae linguae pueritiam vetustis ac incundis monumentis  
doceant, et largam denique romanarum antiquitatum messim praebant, ex  
iure civili romano, antiquitatibus et philologia explicare statueram, nunc  
vero propter nimiam temporis brevitatem ita tantum pertractavi, ut pro  
viribus, quas bene sentio, quam sint exiguae, paucis ex historia ea adno-  
tarem, quae de earum origine, progressu et fatis, indole et arguento, ac  
denique de doctorum virorum circa eas laboribus et meritis certo tradisci  
possint. Neque etiam scripsisse haec me poenitebit umquam, si TV modo  
acqua mente libellum meum qualemcumque ita excepere, ut TIBI persua-  
deas, me tantummodo reverentiae et TIBI deditissimi animi pignus sistere  
voluisse. Quod ultimum est, cum contigerit mihi esse tam felici, ut  
summe reverendi TVI Patris iussu in domicilio TVO inter  
bonesta amicitiae et literarum commercia favore TVO fruenter, nunc etiam  
atque etiam rogo, velis, cum tempora labantur, et TV, quod certa  
mente

mente divinari possum, brevi talis sis futurus, qualem omnes sperant,  
hoc est, vir, qui splendore proprio et insigni virtute profapiae suae genero-  
sae et cuiilibet provinciae novum decus adferat, volis, inquam, me favore  
TVO ac patrocinio futuro quoque tempore exornare. Quodsi hoc mihi  
contigerit, totus annitar, ut, dum conceditur usus huius vitæ, sim.

Vir Illustris  
Generosissime ac Doctissime Iuvenis  
Illustris TVI Nominis

Scribentem  
Numburgi propter Salam  
dié XI Octobris  
CICIO CCLXXXVI,

*additissimus Cliens*  
Joannes Paulus Christianus Philipp.



# Q

Quod Iustinus dixit de cunctis terrae populis, a.) populus, inquiens, nullis, legibus tenebatnr, arbitria principum pro legibus erant; id quodam modo de Romanis quoque dici potest. Quamquam enim multas iam a regibus suis ac deinde a Consulibus acceperant leges, b.) ex regum tamen et eoff. arbitrio saepius pendebant. Quod, nisi Dionysium Halicarnassensem, c.) Tacitum, d.) Livium, e.) et praeter alios Pomponium f.) etiam consentientes haberem, satis tamen luculent ex antiquissima Romanorum historia adpareret, reges nimirum et eoff. saepe sua potestate in Romanos abusos esse. Hinc nemini potest esse mirum, quod Romani hanc immoderatam licentiam ac liberam regum suorum potestatem vehementer habuerint odio, cum, teste Plinio, g.) male vim suam potestas aliorum contumeliis experiatur, male terrore veneratio adquiratur; longeque valentior amor sit ad obtinendum, quod velis, quam timor. Ac re vera Romanorum odium eo processit, ut,

cum

a.) Lib. 1. cap. 1.

b.) De Legibus Romanorum regiis non  
inutilites conferendi sunt Burc. Gotth.  
Struv in Hist. Iur. Sphis tribus priori-  
bus, et Rosinus Antiq. L. VIII. cap. 5.

c.) Lib. 10. sub initium.

d.) Annal. 3. cap. 26. Nobis Romulus,  
ut licitum, imperitaverat.

e.) Lib. 3. cap. 9.

f.) Lib. I. TIT tit. de O I. l. 2. §. 1. qui  
titulus excitatur etiam Enchiridion Iuris.

g.) Lib. 8. ep. 24.

cum Tarquinius Superbus in primis nimia crudelitate esset usus, dignitatem regiam tollerent, et regias deinde leges per tribuniciam h.) ita abrogarent, ut Ius tantum illud, quod a Pontifice maximo nomen habebat i.) et reliquae leges, quae romanae civitati expedirent, retinerentur. Ita igitur immutata, quae adhuc fuerat, imperii forma, democratica fere placuit universo populo. Coss. enim orti sunt, quorum scilicet primi fuere L. Iunius Brutus, praecipius ille romanae libertatis restitutor, et L. Tarquinius Collatinus, in cuius tamen locum ob nomen Romanis odiosum suscitatus est P. Valerius. Provide etiam cautum erat, ut, quo firmior esset haec nova imperii ratio, cuiusvis anni primis Calendis novi coss. imperii fasces sumerent, Nihilo feciunt tamen vel horum potestas arbitria fuit legumque peritia penes solos Patricios, l.) qui multa ac saepius tyrannorum more agebant regiamque majestatem ita saepe adfectabant, ut Romani consilium illud, cuius ergo reges exegerant, se adsecuturos esse desperarent. Res igitur romana iure magis incerto, quam sapientibus ac bonis legibus cum regeretur, miserrima omnino Iuris erat facies tantisper, dum C. Terentius Arsa Tribunus pl. eo tempore, quo coss. L. Tricipinus et T. Veturius Geminus ab Urbe abessent, plebi suaderet, ut viri quinque crearentur, qui immoderatam coss. licentiam coercerent, leges de imperio consulari scriberent, atque id efficerent, ut coss. in posterum eo iure, quod populus in se dederit, uterentur, non vero libidinem ac licentiam suam pro lege haberent. Qua lege promulgata, cum Patres yererentur, ne absentibus Coss. iugum acciperent, senatus ab Urbis praefecto

h.) cf. L. 2. ff. de O. I. ubi Pomponii verba haec sunt: Exactis deinde regibus Lege Tribunicia omnes leges hae exoleverunt. Controversia tamen super hoc loco mota est, quomodo intelligendus sit Pomponius, cum post electos reges Tribuni nondum fuerint. Gerhardus Cocceius quidem per Legem Tribuniciam legem a L. Iunio Bruto Celerum Tribuno latam vult intelligi; Struvius vero in H. I. contendit, Pomponium non ita esse intelligendum, quasi statim post exactos reges lex ita

fuisse lata, sed aliquot annos post; atque haec sententia vel mihi placet, cum perpauci XVI nimirum anni inter electos reges et Trib. pl. originem intersint.

i.) de Iure hoc Pontificio breviter quidem, at pro more suo erudite differit iam laudatus B. G. Struv in H. I. R. cap. I. §. 2. not. \*\*\* ubi simul optimos adlegat scriptores, e quibus plenior iuris huius pontificii notitia haurienda est.

l.) Dionys. loc. cit.

praefecto Q. Fabio vocatus, a<sup>et</sup>io dilata et Coss. accessiti sunt. m.) Variis deinde hanc ob caussam in Vrbe inter Plebem et Patricios exortis dissidiis, sicut ex Livio pluribus cognoscimus, anno sequenti Lex Terentilla, contradicentibus licet Patribus, lata, numerusque eorum, qui legibus scribendis destinarentur, duplo auctus est, ut X viri non aetate tantum et prudentia insignes, sed honoris etiam bonaeque famae rationem habentes eligerentur, qui, quid annuis magistratibus et privatis civibus inter se iuris esset, ceu limites definirent. n.) Post varias denique lites, cum Patricii et Plebeji inter se convenire non possent, T. Romilio svasore, Viro consulari A. V.

C. CCC SCtum factum et auctore Sicinio Tribuno pl. confirmatum est PScito, ut in Graeciae civitates legati mitterentur, qui leges ibi, mores et instituta colligerent, describerent et accurate examinarent. o.) Poterant enim multa paeclara exspectari ab rebus., quae nobilissimorum legislatorum p.) legibus ea aetate maxime florent. Triumviri igitur, Sp. Postumius Albus, P. Sulpicius Camerinus, quem non nulli tantum S. Sulpicium nominant, et A. Manlius, cui secundum quosdam cognomen Vulso est, non X viri, ut placet aliis et in primis Pomponio, q.) Coss. P. Horatio Tergemino, quem Livius Curiatum nominat, et S. Quintilio Varo, in cuius locum Sp. Furium suffictum esse Dionysius testatur, trirenibus ex aerario instrutis cum adparatu reliquo pro romani imperii majestate, vergente anno in Grae-

B

ciam

m.) Haec sere iisdem Livii verbis 3, 9 enarravimus.

n.) Ex Dionysii lib. 10. haec desumimus. Nomina vero decem horum virorum facile ex Livio 3, 33. notari possunt. Fuere scilicet Ap. Claudius, T. Genucius, P. Sestius, L. Veturius, C. Julius, A. Manlius, S. Sulpicius, P. Curatius, T. Romilius, Sp. Postumius.

o.) Secuti hic sumus Dion. lib. cit.

p.) In primis celebres sunt leges Dracōnis, quae tanta erant severitate conceptae, ut sanguine scriptas diceren-

tur; Solonis longe aequiores, quibus Draconis leges maximam partem abrogatae sunt; et Lycurgi Spartanorum legislatorum, qui tamen multa singularia intermiscauit, quae magis nocere bonis moribus, quam professe debuerunt. Huc pertinet etiam Saleucus, qui Lorenzibus leges tulit, quem tamen cum Charonide, cuius leges a Romanis exceptas esse Aimarus Rivallus p. 20 sqq. H. I narrat, equidem ab his legislatoribus separaverim, cum rei huius vestigia vix possint reperiri.

q.) in Enchir. Iuris 1. 2. §. 4.

ciam profecti sunt, ut inclusas leges, Solonis in primis, describerent et alias Graeciae civitatum instituta, mores iuraque noscerent. r.) Quibus, biennio peracto, aut, ut aliis placet, anno inseguente, CCCII nimirum, quam condita erat Roma, magna cum farragine legum reversis ex SCto VII alii e primoribus Patrum additi sunt et X viri legum ferendarum, tamquam perpetuus magistratus, constituti. Penes quos nunc summa rerum esset; reliqui vero magistratus cum Coss. ceſlavere. s.) Quo facto X viri leges suas tum e Graecorum iure, t.) tum e legibus regius, tum e patriis institutis u.) collectas publice in X tabulis, pro numero scilicet auditorum, cuiilibet pernoscendas proposuerunt, et cum a privatis se admoneri indigne non ferrent, scripta sic confirmarunt, ut placearent omnibus. Ceterum hac in re Hermodori Ephesi, qui, per Ostracismum patria ejactus, v.) tunc forte in Italia exulabat, usi sunt confilio, pro quo beneficio publica ipsi, Plinio teste, x.) statua posita est. Decemviri vero non propterea Hermodorum in consilium vocaverunt, quod literarum graecarum fuerint expertes, sed quod Hermodorus legum graecarum causas optime debebat intelligere. Nonnulli vero y.) leges XII Tabularum totas Hermodoro tribuunt, in quo tamen sunt falsi, cum Dionysius, Livius et Cicero, quos in hac historia testes habemus optimos, ea de re omnino fileant. Cum vero leges istae satis essent examinatae et in iis ordinandis annus fere transactus, et nemo amplius, quod contradiceret aut vituperaret, haberet, SCtum de iis factum et in centuriatis comitiis publicis suffragiis est confirmatum. z.) Secundum Pomponium a.) videntur illae leges, antequam publicarentur, ut aperte possent a populo videri,

in

- r.) Ita Dionys. lib. cit. et Livius 3, 37.
- s.) cf. Livius 3, 32. 33. et Dionys. L. 10.
- t.) cf. Justinianus Instit. L. 1. Tit 2, de iure naturali, gentium et civili §. 10. et Cic. de Leg. 2, 23. sqq.
- u.) Vtrumque posterius scriptorum locis adstruit Struvius lib. cit. p. 24. sq.
- v.) cf. Cic. Tusc. Qu. 5, 36.
- x.) H. N. 34, 5.
- y.) Strabo Geogr. Lib. 14. Plinius loc. cit. Pomponius §. 4. de O. I.
- z.) Diouys. L. 10. et Livius 3, 34.

- a.) L. 2. §. 4. de O. I. Quo tamen in loco quidam cum Godofredo et Scali-  
gero legendum esse putant: robore-  
as, loco: eboreas; vel cum Ru-  
pero ad Enchiridion Pomponii:  
aereas. At Struvius lib. cit. p. 26.  
not. †† hanc lectionem defendit. E-  
quidem ad b. Ernesti Archaeol. P. 1.  
cap. 1. §. 17. olim mihi ex Harpoera-  
tione, qui mihi iam non est ad manus,  
locum p. 22§. sub vocabulo: ΧΥΨΙΣ



in ebore propositae ante curiam Hostiliam eo in loco, cui postea rostra navium Antiatum adfixa nomen dederunt ac demum A. V. C. CCCVI aeri incisae, postquam duas, quae deesse videbantur, additae fuerant. Quod vero separatim ad duas illas tabulas, quae adiectae sunt, adinset, eas anno demum in sequente decem prioribus additas esse constat, quem in finem novi hunc in annum X viri creati erant, qui tandem, multis, ab Appio Claudio in primis, crudeliter et libidinose actis et coniuratione de opprimenda libertate facta, coacti sunt se abdicare magistratu. b.) Ante tamen, quam decemviratus abrogaretur et consularis dignitas in L. Valerio et M. Horatio restitueretur, totum illud romani iuris corpus erat absolutum. Ultimas quidem tabulas ad alendam dissensionem adiectas fuisse quorundam est opinio, quae vera tamen esse non potest, cum sanctum sit in iis de pignoribus, de re litigiosa sub dupli poena non alienanda, de posterioribus populi iussis, de malae fidei possessore, de noxali actione cet. Inest una tantum lex de connubiosis, ne scilicet ea Patribus cum piebe licita sint, atque haec iuribus ansam praebuisse videri potest. Ita enim Dionysius scripsit: c.) οἱ δέ περὶ τὸν Ἀππιον τ' ὁκτὸν συγγράψαντες νόμος ἐν δέλτοις δυσὶ ναὶ ταῦτας τὰς πρότερον ἐξενεχθείσας προσέθηκαν. ἐν δηις ναὶ οὐδὲ οὐρος ἦν, μὴ ἐξεῖναι τοῖς πατερινοῖς πρόσος τὸν δημοτικὸν ἐπιγαμίας συνάφαι, δι' ὑδεν, ὡς ἔμοι δοκεῖ, ἐτερον, η̄ τὸ μὴ συνελθεῖν εἰς ομόνοιαν τὰ ἐθνη γαμων ἐπαλλαγῶντας ναὶ οἰκειοτήτων κοινωνίᾳ συγνερασθέντα.

B 2

Lc:

reperiendum adnotavi, e quo patet, veteres in ebore quoque scripsisse. Huc pertinet etiam locus ex Flavii Vopisci Tacito cap. 8. et in Digestis Lib. 32. s. Lib. 3. de Legatis et fidei com-

missis l. 52. init. codicis eboreorum etiam aliqua fit mentio.  
b.) Nomina decemvirorum et rem narrat tam vide ap. Livium 3; 35. 55. 57.  
c.) Lib. 19.

Loquendi genus XII Tabularum, consentiente Cicerone, d.) effigiem habet antiquitatis. Usurparunt enim X viri eiusmodi loquendi genus, quod graecam prodid originem. Insunt enim verba, quae posteriorum consuetudine ita immutata fuerunt, ut primitivum vocabulum paene ignoraretur, unde factum est, ut olim iam interpretes in invenienda harum legum mente laborarent. e.) Posteris etiam esse debuerunt obscura, cum lingua sensim immutata esset, quam neque Phavorinus, graecus philosophus, cuius apud Gellium mentio fit, capere potuit, neque etiam Gellius intellexit. Sunt autem concinna brevitate et nullis, nisi maxime necessariis verbis consignatae. f.) A plebe ceterum romana Tabula XII vitiis nominabatur Osca, propter nullam aliam causam, ut mihi quidem videtur, quam propter obscuritatem. g.)

Variis porro leges istae insignitae sunt nominibus. Tamquam aliarum regina ac domina *κατ' εζοχην* vocantur Lex in Digestis et apud Festum, item Lex romana apud eundem Festum et in Institutionibus Imperatoris Justiniani passim Ius civile; h.) aliquando etiam Ius antiquum, i.) Lex antiqua, l.) antiquissima, m.) et quatenus in usum forensem adhiberi debebat, Ius exploratum, m.m.) Apud Gellium et Livium n.) nominatur Lex decemviralis,

ac

d.) Lib. 1. de Or. cap. 43. et de Leg. 2. 7.  
 e.) Sen. ep. 114 ira: Multi ex alieno seculo petunt verba: duodecim tabulas loquauntur; viele reden wie die zwölf Tafeln. Antea nimis de sermonis obscuritate et vitiis erat locutus. Cic. de Leg. 2, 23. et pro Mur. 12. leges duodecim carmen nominat propter ea, quod certa et solemnis erant verborum formula, non vero, quod quasi in metrum fuerint redactae.  
 f.) Legere me memini hoc iudicium ap. Everard. Ottonem praef. T. III, Thes. Juris.

g.) Testatur etiam Gellius legum XII obscuritatem 20, 1.  
 h.) e. g. Lib. 1. tit. 2. de iure naturali &c. l. 10.  
 i.) L. 28; ff. t. 2. de liberis et postumis leg. 29. §. 7.  
 l.) L. 9. π tit. 4. de noxalibus actionibus l. 2.  
 m.) ita Nov. 22. cap 2.  
 m.m.) cf. Cod. Lib. 6. Tit. 58. de legitimis heredibus lege penult. coll leg. 3. .  
 n.) Gellius 20, 1. Livius 3, 57.

ae per Ellipsin Lex duodecim, et rotundius duodecim, o.) ubi, vel me non monente, subaudiendae sunt Tabularum Leges. Alia nomina sunt: Ius vetus, p.) Iurisprudentia antiqua, Hereditas vetus, Actio antiqua, Lex vetus, quae nomina passim apud Festum occurunt. q.) Apud Graecos ista lex audit δωδεκάδελτος, etiam δυοδεκάδελτος. r.)

De argumento deinde legum duodecim breviter sic D. Ausonius cecinit: s.)

Ius triplex tabulae quod ter sanxere quaternae

Sacrum, privatum, populi commune quod usquam est.

Plenius vero ita se habet argumentum: Tabula I agit de in ius vocando, necessitatem in ius eundi, excusationes et modum, quo praetor cognoscat, exponens. Tabula II duabus partibus absolvitur, quarum altera de iudiciis et testimoniis denunciatione, altera vero de furtis, et quidem fore nocturno, interdario et manifesto, de furto per lancem et licium, de nec manifesto furto, de arboribus succisis, de furti decisione ac denique de usurcione furtivae rei sancit. Tabula III de rebus creditis constituit, et versatur circa depositum, foenus, ius crediti persequendi adversus peregrinum, et adversus confessum et iudicatum. Tabula IV Ius patrium et Ius connubii exponit definitio, quid fieri debeat partui monstroso, quae paterna vitae necisque sit potestas, et denique de filii venditione et postumi iusta nativitate quid sit observandum. Tabula V Haereditates et Tutelas includit, de haereditatibus et tutelis testamentariis, de successione ab intestato, de libertorum bonis; de eructo <sup>f.</sup> de portionum haereditiarum divisionibus, de legitima impuberis tutela, de furiosi denique et prodigi curatoribus agens. Tabula VI Ius dominii et possessionis definit, quo referantur ius nexi et

B 3

mancipii

o.) ap Cic. de leg. 2, 23.

r.) e. g. ap. Theoph. Inst. L. 1. tit. 17.

p.) Dig. L. V. tit. de hereditatis peti-  
tione 1 1.

de legitima tutela patroni, ubi vid.  
Scholia st.

q.) cf. ap. Festum in primis vocabula:  
percunctatum et erclum.

f.) Id. 4.

mancipi, statuliberi mancipium, rei venditae dominium, ius auctoritatis, mulieris usucatio, vindiciae, tignum iunctum et repudium. Tabula VII in delictis moratur, et quidem pauperie s. damno, quod fecit quadrupes, porro in damno iniuria casu dato, frugibus excantatis, fruge noctu depasta sectave, pastu pecoris in alieno agro, incendio, iniuria leviore, convicio publice facto, membro rupto, osse fracto, teste desertore, falso testimonio, parricidio cuiuslibet hominis, parenticidio, tutoris dolo furtoque, et Patroni fraude. Tabula VIII constituit iura praediorum, et quidem ius parietum, leges sodalium inter se, ius funium. Hortorum, haerediorum, et taguriorum iura in hac tabula temporis iniuria mutilata sunt, et duea tantum leges restant de arboribus caedendis et grande legenda. Adiuntur vero leges de iure aquarum, viae latitudine, et via munienda. Tabula IX Ius publicum edocet sanctiens de privilegiis, iuris aequabilitate, repetundis, ci- vis capite, quaestoribus parricidii, coetibus nocturnis, et eo, qui hostem concitatavit. Tabula X Iure sacro occupata est. Leges quidem de ireiurando periere, restant tamen leges de sepulchris, et quidem de sepulturae loco, sumtu et luctu funebri, riciniis et tibicinibus, genis non radendis, lesso, ossibus non legendis, uncitura, circumputatione et in primis murata i. e. myrrata, de coronis, corona parta imponenda, pluribus funeribus et lectis uni non faciendis et sternendis, auro non addendo, spatio intra rogum bustumve et alienas aedes, ac tandem usucapione fori bustive prohibita. Tabula XI supplementum continet quinque priorum tabularum sanctique de posterioribus populi iussis, de connubio patribus cum plebe prohibito, de sacris detestandis, quae tamen lex ultima perit. Tabula XII supplementum est quinque posteriorum tabularum, in quo Lex quidem de pignore intercidit, ceterum vero de re litigiosa, de malae fidei possessore, de noxali actione cautum est.

A. V. C. CCCLXVIII hae leges denique combustae sunt, cum Roma a Brenno, Gallorum rege, caperetur et, excepto Capitolio, tota combureretur. Postea vero,

vero Livio teste, t.) restitutae sunt, et, ut ne denuo perderentur, pueri illas, ut carmina, referente Cicerone, u.) memoriae mandare ac recitare debebant. Sed, quamquam corporis illud usu constante viguit, Lege Aebutia, nihil, ut aliis videtur, v.) ei derogante barbaris denum temporibus evanuit, quod, ex opinione Conradi Rittershusii, factum est, cum Gothi Saec. V. in Italiam irrumperentes longe lateque grassarentur. Imperante Gratiano idem magnus vir eas adhuc integras adfuisse putat. Cyprianus quoque x.) leges istas suis temporibus superfluisse testatur. Antiqui vero et profani scriptores nos ea in re testimonis destituant, et, quamquam harum legum plures meminere, solus tamen, quem scio, Diodorus Siculus y.) testatur eas Augusti temporibus integras adhuc pro rostris fuisse constitutas. Sed quidquid id sit, nunc tamen constat, opus illud integrum aetate Iustiniani superfluisse.

Auctoritas vero, quam consecutae sunt istae leges, olim fuit maxima, unde Livius omnis publici privatique iuris fontem eas nominat, z.) atque illi, qui jurisprudentiae dabant operam, in primis cogebantur, earum verba, tamquam carmen necessarium ediscere. Multa profecto veterum extant elogia, quae apud Iacobum Godofredum ad XII Tabulas et apud in notulis saepe laudatum Struvium possunt reperi. In primis Cicero a.) uno hoc libello XII tabularum omnium philosophorum bibliothecas et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate contendit superari. Vehementer easdem Iustinianus quoque commendat b.) suasque subinde constitutiones ex iis derivat, et, tamquam fundamento, superstruit, legibus aliorum principum, quae huic

a.) Lib. 6. cap. 1.

u.) de Leg. 2, 23;

v.) Extat ea de re singularis libellus Jo. Henr. Christ. Schonvett de lege Aebutia legibus XII Tabularum non derogante Dordrac. 1747. cuius mihi non esse factam copiam doleo. De Aebutia lege vero paucis consule Rosnum Ant. L. 8. cap. 7. pag. 615,  
x.) Lib. 2. ep. 2. quae epistola citatur etiam liber ad Donatum de gratia Dei,

y.) Lib. 12.

z.) Lib. 3. cap. 34. et Tacitus Annal. 3, 27. has leges adpellat finem aequi juris.

a.) de Orat. 1, 44.

b.) vid. Cod. L. VI. tit. 58. de legitimis heredibus l. 14. ubi claris verbis statim ab initio dixit: Lege XII Tabularum bene humano generi prosperum est.

huic legi derogassent, antiquatis. c.) Illi ergo non sunt audiendi, qui contemni ab ipso XII Tabulas putant, quoniam loci, qui in hunc finem excitari solent, minus de XII Tabulis, quam de quolibet antiquato iure explicandi sunt.

Paucis etiam fragmentis, quae nostram aetatem attigere, suus manet honos, quia ad interpretationem historicorum et poetarum, quorum multi tabularum memorare, haud parum conferunt; grammaticis porro et philologis magnam messem antiquissimorum vocabulorum et antiquitatum romani populi praebent, Ictis autem in primis Iuris origines in iis referuntur, unde Cuiacius, magnus ille Ictus, putaverit, studium Iuris civilis ab illis esse exordiendum.

Ceterum illa fragmenta, sicut restant, ex Ciceronis de Legibus libris, Dionysio Halicarnassensi, Plutarcho, Digestis, Gellio, Plinio, Servio, Macrobio et aliis varii colegerunt, et, quod sciām, Franciscus Pithœus omnium fuit primus. Haud paucos etiam, qui commentarios scriberent, illae leges naœtæ sunt et ex antiquioribus hic nominandus est S. Aelius, d.) L. Aelius et L. Acilius, e.) Labeo Antistius, f.) et Caius in primis in *Δωδεκάδελτῳ*, e quo in Digestorum libris nobis multa sunt adservata. De reliquis vero, qui adduntur ab aliis, non est certum iudicium. Recentiorum vero magna cohors est, quorum tantum nomina hic lubet adjicere, g.) Praeter Pithœum enim, quem iam nomenavi, mihi, qui commen-

c.) ubi legum XII Tabb. in Digestis et Institutionibus Iustinianis mentio fiat, docet Barnabas Brislonius de Verb Signif. L. 10. p. m. 1043.

d.) Pompon. de O. I. ita: Sextum Aelium etiam Ennius laudavit, et extat illius liber, qui inscribitur: Tripertita. Tripertita autem dicitur, quoniam lege XII Tabularum proposita, iungitur interpretatio, dein subtextitur Legis actio.

e.) quorum meminit Cic. de Leg. 2, 23.

f.) cuius mentio fit in l. 44. tit. de O. I. et apud Gellium 1, 12. 7, 15. et 20, 1.

g.) A iudiciis de his viris mihi abstinentum est, cum propterea, quod mihi non sumo, ut de tantis viris iudicem, tum, quod minima ex parte inspicere ac consulere eos mihi licuit. Ceterum nostra aetate non desunt libri, e quibus iudicia depromi possunt, quae quidem hic recto ac suo loco adiici debuissent.

commentarii eas sunt; innotuere, qui sequuntur: Aimarus Rivallus Allobroga, qui tamen sine ullo ordine et mutilate saepe leges illas recenset, Calcagninus, Bartholomaeus Marlianus, Pardulphus Pratejus, Adrianus Turnebus, Ioannes Oldendorpius, Jacobus Raevardus, Franciscus Balduinus, Antonius Augustinus, Antonius Contius, Jacobus Cuiacius, Franciscus Hottomannus, Theodorus Marcilius, Antonius Clarus Sylvius, Ludovicus Charondas, Iustus Lipsius, Richardus Viuis Basinostochius, Joannes Crispinus, Conradus Rittershusius, Valentinus Gvilielmus Forsterus Oldendorpii compilator, Ioannes Rosinus, g.g.) Julius Pacius, Simon van Leeuwen, Paullus Merula, Dionylius Godosredus, Janus Vincentius Gravina, Idsinga. Praeceteris omnibus autem memorandus est dignissimus ICtus Jacobus Godofredus, qui palmam praeripuit omnibus. Non tantum enim in classes, ut fieri potuit, accuratas rededit, sed etiam aliorum errores in collectione commissos correxit, omissa supplevit, et eruditis notis explicavit. Io. Nic. Funccius denique in tractatu de origine et pueritia L. L. et in Legibus XII Tabularum suis fragmentis restitutis, quibus singularem dissertationem adjecit; porro B. Brancejus (Branchu) et Terraflonus laborarunt, ut verba legum origini et antiquissimae elocutioni proprius ferrent. Et quod ad historiam legum adtinet, praeter hos viros quivis etiam historiae iuris scriptor eas attigit, e quibus in primis Burcardus Gotthelf Struvius, Io. Gottl. Heinneccius et Io. Aug. Bach, quos viros cuncti bonarum literarum studiosi vel alio nomine venerantur, rem suam bene egisse mihi videntur. His omnibus denique addendus est Jacobus Voorda in Orat. de Romanorum in condendis XII Tabularum legibus prudentia.

Atque haec habui, quae de XII Tabularum legibus differerem. Forte meliora sistere potuisse, si dissertationis Petri Nicolai Bonamici (Bonamy) sur l'origine des Loix des XII Tables, quae extat in: memoires de l'academie des inscripti-

C ons

g.g.) Antiquitatum L. VIII romanorum legibus totum destinavit, atque in colligendis XII Tabb. legibus singularem adhibuit diligentiam. Possunt ex eo simul Iusti Lipsii, Ludov. Charondae

et Theodori Marcilii digestiones XII Tabb. cognosci. Ceterum Ausonium secutus, leges una cum Franc. Hotomanno et Io. Crispino in ius sacrum, publicum et privatum dispergit.

## XVIII

---

ons Tom. XVIII p. 41 — 152, et illius de legibus XII Tabularum dissertationis, quae Everardum Ottomem auctorem habet, compos factus essem. Interea tamen hac laeta occasione silere non poteram, sed potius licere mihi arbitratus sum, publica scriptione indicare, quid valeat apud me pietas. Proposueram mihi primum, huic historiae aliquam ipsarum tabularum explicationem subjicere. Sed temporis brevitas summam manum iam exarato quidem operi vetabat adjicere, et nimis properatum opus edere nolebam. Itaque hoc virium mearum periculum alii tempori destinavi, si Deus porro vires largiatur et vitam, nec Musis meis incitatio defuerit. Ceterum spero certissime, meorum Lectorum neminem arrogantiae id esse tributurum, quod nobis eiusmodi materiam scribendam sumserimus, in qua iam viri doctissimi, quos me numquam tafturum esse non oblitus sum, multo cum sudore laboraverint. Quamquam enim ingenii inopia et librorum penuria ab literarum commercio et bibliothecis me remotum detergere possent, tamen cuivis virium suarum periculum facere licere credidi, et, si vel vires meae metam optatam non tetigissent, quivis tamen Lector benevolus Nasonis verba ex Ponto 2, §. 29. sqq. rogatus in me applicabit:

Obruit audentem rerum gravitas — — —


Nec potuit coepti pondera ferre sui.

Illic, quam laudes, erit officiosa voluntas.

Cetera materia debilitata jacent.



(X2310719)



ANTIQUISSIMORUM IURIS CIVILIS FONTIUM  
SIVE LEGUM DUODECIM TABULARUM  
**HISTORIAM**

1978  
L  
1622  
(43)

ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO  
EXIMIAEQUE SPEI VIRO IUVENI  
**FRIDERICO CHRISTIANO  
ALEXANDRO DE SEEBAKH**

LITERARUM ALTIORUM STUDIA  
IN CELEBERRIMA, QUAE IENAE FLORET, ACADEMIA

EXEUNTE MENSE OCTOBRI ANNO CIODGCLXXXVI

FELICITER AUSPICANTI

GRATULATURUS ENARRAVIT

IOANNES PAULLUS CHRISTIANUS PHILIPP.

NUMBURGI, EX OFFICINA UHLIGIANA,

L 199, E. d. Pfeilchr.

